

Author: Doni, Giovanni Battista

Title: Ioannes Baptista Donius Salutem Plurimam Dicit [[Cladalmatis.]] [Claudio Salmasio corr. supra lin.] Viro Clarissimo

Editor: Massimo Redaelli

Source: Florence, Biblioteca Marucelliana, MS A.290, f.<1r>-<1v>

[2 in marg.] Ioannes Baptista Donius Salutem Plurimam Dicit [[Cladalmatis.]] [Claudio Salmasio corr. supra lin.] Viro Clarissimo

Admiratio scriptorum tuorum atque excellentis istius omnigenaeque doctrinae quemadmodum ingentem iam pridem in animo excitavit amorem tui; ita postquam, Roma relicta, in patriam redij non semel incitavit me, uti aliquid ad te litterarum darem, quo veterem illam erga te observantiam amicitiamque quam iam inde ab anno salutis ut opinor millesimo sexcentesimo vigesimo primo praesens Lutetiae obtuleram, absens renovarem confirmaremque: Verum religioni quodammodo [quodammodum ante corr.] mihi fuit te tantum talemque virum tenui simplicique epistolio post tam diuturnum silentium, tanta locorum intervalla compellere <aliqua desunt> Adiunxi igitur his litteris munusculum parvum illud quidem, et minime fortasse te dignum, sed ob argumenti novitatem, et nescio quid [paradoxon], non ingratum penitus, ut opinor, futurum. Adde quod cum hodie omnes propemodum (quibus me quoque ascribas licet) principatum tibi inter [-<f.1v>-] litteratos sine controversia deferant, omnes<que> antiquitatis partes loculentissimis tuis script<is> illustraveris, quotiesque illustres, ego qui hanc rei antiquariae partiunculam, quae ad Musica<m> proprie pertinet, expoliendam susceperim, qu<od>cumque hoc lucubrationum mearum pensum, siue tributum quoddam, ad publicum istud commu<eque> disciplinarum omnium totiusque elegantioris er<u>ditionis aerarium optimum iure transmittendum c<en>sui. Gratum igitur mihi erit, si hunc libell<um> tamquam amicus libenter exceperis: gratius si tamquam censor castigaveris ac meliorem effeceris. Vale.

[Scripta est, licet mensis et annus desinit, anno MDCXL. nam in eo quaternario occurrit, in quo omnes epist<ulae> recensentur, scriptae post editum Librum de praestantia Musicae ueteris m.rec.]